



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 20. Continuata Jesuitarum caussa post Joannis Castelli supplicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI. *fragio nuper in urbe instituta, ad orandum*
A.C. 1594. *pro liberatione animarum in purgatorio exi-*
stentium. Præterea die octava Novem-
bris alio diplomate Papa confirmabat
statuta jam olim condita pro bono regi-
mine Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mer-
cede redemptionis captivorum, & pro ele-
ctione Magistri Generalis ejusdem Ordinis.
 Die quarta Julii per aliam constitutio-
 nem decernitur institutio *Festivitatis S.*
Stanislai Episcopi, & Martyris, pro die
septima Mensis Maji, duplici officio cele-
brandæ.

Idem etiam sanciebat Pontifex edito
 diplomate die nona Julii circa sanctum
 Romualdum Ordinis Camaldulensis
 fundatorem, cujus festivitatem die se-
 ptima Mensis Februarii ritu duplici ce-
 lebrari præcepit. Denique die vigesima
 nona ejusdem Mensis Julii Papa alio
 diplomate præscribit, qualiter eligendi
 sint Superiores Fratrum tertii ordinis,
 quos pœnitentes vocant.

§. XX.

Continuata Jesuitarum causa post
Joannis Castelli supplicium.

P. Jouvenc. Interea lis contra Jesuitas mota, atque
hist. Soc. per Joannis Castelli parricidium in-
tom. 2. p. 5. novata semper in Parisiensi Senatu agi-
 tabatur, atque eodem die, quo infe-
 lix ille homo extremum subibat suppli-
 cium,

cium, Doleus Advocatus, Doronus su-
 premus Curiae satelles, aliique plures
 a primo Præsede delegati ad Claromon-
 tanum Collegium procedebant, cuncta-
 que scrinia sigillis suis muniebant: al-
 tera autem die trigesima ejusdem Men-
 sis Curiae Consiliarii a Senatu nominati
 ad idem Collegium contendebant, at-
 que exactius cuncta cubicula, quæ non-
 dum erant lustrata, inspexerunt, ac
 quosdam juvenes, qui ibidem educa-
 bantur, interrogabant: postrema deni-
 que hujus anni die Jesuitis prælege-
 runt edictum, quo non modo e Parisina
 urbe, sed toto Regno exulare jussi sunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

§. XXI.

*Gueretus, & Guinardus Jesuitæ
 tormentis subiecti, ac damnati.*

Ineunte anno Domini millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo quinto Sena-
 tus Patres Jesuitas Gueretum, & Gui-
 nardum tormentis subicere statuebat:
 cum autem horum primus nihil fate-
 retur, nec ullus ipsum de hoc crimine
 accusaret, hinc Senatus eum non nisi
 exilio multabat: cum vero adversus
 Patrem Guinardum quædam scripta, in
 ipsius cubili reperta, producerentur, tan-
 quam læsæ Majestatis reus declaraba-
 tur, ac propterea ad extremum suppli-
 cium condemnatus est, die septima Ja-
 nuarii

Thu. l. III.
 Mem. de la
 Lig. t. 6.
 pag. 257.
 Hist. Soc. l. c.